UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 63. Francisci Turnonii Cardinalis obitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66641

Visual Library

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

risdictionem habeat. Denique in articulo trigeſimo nono ſtatuitur, quod rei pœna mortis plecti, ac Chriſtiani Magiſtratuum juſſu arma ſumere, bellumque gerere licite valeant, eorumque bona non evadant communia, nec non licita ſint juramenta. Hæc fuere addita contra Anabaptiſtas, & Puritanos.

Iidem hi articuli rurſus Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo confirmati, necnon in omnibus Regni comitiis, quæ poſtea fuere celebrata, innovati fuerunt. Tandem Eliſabetha vivis erepta a Jacobo I. Rege Anno milleſimo ſexcenteſimo tertio in Synodo a Londinenſi Epiſcopo celebrata in Cantuarienſi Provincia denuo approbati ſunt.

§. LXIII.

Franciſci Turnonii Cardinalis fata.

Ciacon. vit. Pontif. t. 3. pag. 506. Thuan. l. 34. Sadol. l. 6. & ep. 14

Hoc item anno ad medium vergente Franciæ Regnum Cardinalem Franciſcum Turnonium, præcipuum illius lumen, ac glorioſiſſimum veræ Doctrinæ Defenſorem amiſit. Hic Anno reparatæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo octogeſimo nono ex Jacobo Turnonio Comite de Rouſſilion, & Joanna de Polignac natus, ac ab iisdem parentibus in Chriſtianæ pietatis ſtudio liberaliter educatus fuerat, unde vix duodecimum ætatis

ætatis ſuæ annum egreſſus Religioſo Sancti Antonii Viennenſis ordini nomen dedit, nuncupatisque ſolemnibus votis ſtudiorum curriculum cum ſumma ſolertia emenſus erat, præcipue vero Divinarum literarum, Conciliorum, Sanctorumque Patrum lectioni ſeſe impenderat, ut his armis inſtructus contra novas hæreſes in arenam deſcendere poſſet: porro ex quatuor ejus Fratribus duo ad Epiſcopatus fuere aſſumpti, & quidem Caſparus ad Valentienſem, Carolus vero ad Rhodienſem: Franciſcus autem præcipuis ſui Ordinis dignitatibus auctus tandem anno ætatis ſuæ trigeſimo octavo Abbas Caſæ Dei in agro Arveno, quo tamen anno, ignoratur, renuntiatus eſt: anno autem Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto ad Ebrodunenſem Archiepiſcopatum & demum ad Bituricenſem promovebatur, ubi ob ſuam probitatem, prudentiam, atque in rebus gerendis dexteritatem tanti a Franciſco I. Rege habebatur, ut ad Regium Senatum ab eo accitus, hoc munere integerrima fide fungeretur: ceterum cum idem Galliarum Rex in Papienſi prælio captus Madritum in Hiſpaniam abduceretur, Franciſcus Turnonius a Regni Proceribus deſtinabatur, ut Regis libertatem a Carolo V. Cæſa- Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sæc. XVI. A.C. 1562.

Cæſare impetraret: equidem unacum Margarita Regis Sorore, Alenſonii Ducis Vidua, Montmorentio Conneſtabili, & Joanne Sylva primo Pariſienſis Senatus Præſide in Hiſpaniam contendebat; ubi integro anno morabatur, cum laboris ſui ſucceſſu adeo proſpero, ut die ſecunda Januarii Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, prout jam alibi meminimus, liberationis pacta fuerint concluſa, qua occaſione Turnonius demortuo Franciſco Beuil Sancerrano Bituricenſis Archiepiſcopus electus fuerat, eapropter primo Bituricenſis Archiepiſcopi nomen in eis tabulis uſurpabat: exeunte autem Menſe Januario ex Hiſpania profectus in Franciam rediit, ubi comitiis a Rege ob Regni negotia celebratis interfuit: demum ad finem vergente anno Salvatoris milleſimo quingenteſimo quinquageſimo vigeſimo ſeptimo novi ſui Archiepiſcopatus poſſeſſionem accepit, ibique Biturigibus anno ſequenti die decima Maji Synodum celebravit, quo etiam tempore in Abbatem Sancti Antonii electus dicitur: progreſſu autem temporis die decima nona Martii Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo ad Franciſci Regis preces a Clemente VII. Purpura decoratus fuit, pro-

ut

ut idem Papa promiſerat literis ad eundem Regem anno priori prima Novembris die datis. In Cardinalem creatus obtinuit Turnonius titulum Sanctorum Petri, & Marcellini, quam dignitatem eidem Sadoletus officioſa epiſtola gratulabatur: cum ergo Turnonius ob impetratam Franciſci I. libertatem ampliſſimis elogiis, ac beneficiis cumularetur, rurſus in Hiſpaniam ablegatus fuerat, ut Regios quoque Filios, qui ibidem adhuc obſides hærebant, in libertatem aſſereret: hanc etiam legationem non minus proſpere, quam priorem obibat Turnonius, unde in meriti ſui præmium Abbatia Sancti Germani de Pratis decoratus fuit: Biduo autem poſt Legatus a Rege Romam ad Clementem VII. decretus ſocium habuit Cardinalem Grammontanum, qui antea Tarbæ Epiſcopus erat. Hujus Legationis præcipuum caput erat, ut Turnonius Henrici VIII. Angliæ Regis res cum ſummo Pontifice componeret ob divortii ſententiam, quam ille pronuntiari petebat: alterum petitum erat, ut Pontifex colloquium cum Rege apud Maſſiliam propter hanc, aliasque cauſſas iniret, ad quam etiam urbem Clemens Papa anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio acceſſerat, ubi nuptiæ Catharinæ Mediceæ Pontificis neptis

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

ptis

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

ptis cum Henrico Franciſci I. filio ſecundo genito fuerunt conciliatæ.

His peractis per triennium ab armis, quibus Hiſpani, & galli collidebantur ceſſatum fuit: demum vero accenſis rurſus flammis tum Cardinalis creabatur Lugdunenſis Provinciæ Præfectus, necnon eo tempore ejusdem Urbis Archiepiſcopus, ut eo facilius in omnes militum, qui in Italiam mitterentur, neceſſitates invigilare poſſet: inſuper Paulus III. qui Clementi VII. ſucceſſerat, cum inter Carolum V. & Franciſcum I. amicitiam conciliare niteretur, Cardinalis Turnonii opera uſus eſt, ut ſaltem inter utrumque Principem induciæ decernerentur, quas etiam Turnonius obtinuit; cum autem quondam Franciſcus I. Rex datis literis Melanchtonem ad ſuam aulam accerſeret, eique omnem, quam deſiderare poſſet, ſecuritatem polliceretur, mox Cardinalis, cum hæreticos ejusmodi Regis familiaritate plurimum extolli prævideret, eorumque dolis ipſum Regem ſeduci pertimeſceret, infauſtum hoc fatum ab eo avertere conſtituit: ergo proxima die Regium Senatum accedit, ac Sancti Irenæi librum contra hæreſes compoſitum ſecum defert, illumque evolvit, interea Regiæ Majeſtatis adventum præſtolaturus. Advenit Rex, moxque, cum librorum ſtudio-

ſtudioſus eſſet, quisnam hic liber foret, cujus lectioni tam aſſidue incumberet, ſciſcitatur: „excellentiſſimus eſt, reſpondit Cardinalis, Galliæ tuæ Epiſcopi, & hominum Apoſtolicorum diſcipuli commentarius, qui cum præclare cetera, tum illuſtriſſime illud „ſcripſit libro tertio, nullum homini „catholico cum hæreticis aut commer„cium eſſe oportere, aut colloquium.

Sæcul. XVI. A. C. 1562.

Poſtea Regi retulit, in ejusdem Sancti Lugdunenſis Epiſcopi libro deſcriptum legi, quod Sanctus Polycarpus in Romanæ Urbis platea Marcioni hæreſiarchæ obviam factus ab eodem interrogatus fuerit, an ipſum noſceret: ad hæc vero Sanctus reſponderit: noſco te eſſe primogenitum Diaboli filium.

S. Iren. l. 3, cap. 33.

His addidit, quod idem Sanctus hæreticos adeo abhorruerit, ut ad idem balneum, in quo ipſe erat, Cerinthum quoque ingredi cernens, mox inde pedem retulerit, veritus, prout ipſus inquiebat, ne balneum corrueret, cum ibi Cerinthus veritatis inimicus reperiatur. Hæc Turnonii oratio tam intimo ſenſu Regis animum penetrabat, ut ſententia quantocius mutata Melanchtoni per literas ſignificari juberet, ne Regnum ingredi auderet: dum vero Turnonius Cardinalis ad Lugdunenſem Archiepiſcopatum promotus fuerat,

ſuam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

ſuam Diœceſin hæreſum furori expoſitam emendare totis viribus nitebatur: intererat etiam Poſſiacenſi colloquio, ubi inſolentiam repreſſit Theodori *Bezæ*, qui ſepoſita omni reverentia contra Euchariſtiæ Myſterium, ac Chriſti Domini præſentiam in Sacra Hoſtia impotentibus furiis debachabatur: attamen, quamvis hic Cardinalis apud Regem Franciſcum ſemper gratia plurimum floreret, mortuo tamen hoc Principe Henricus II. illius Succeſſor, qui ſiniſtram de hoc Cardinale opinionem ſtimulantibus æmulis conceperat, illum ad Trenorchienſem Abbatiam ſecedere coegit. Paruit Cardinalis: aſt cum aut Gallos, quod tam propudioſo exilio Virum de Francia optime meritum mulctare non erubuerint, pudor ſuffunderet, ſive demum alia ſubeſſet ratio, ſaltem illum ab aula dimovendi, ac ſalvo ipſius honore illum a negotiorum cura excludendi prætextus paulo honeſtior quærebatur, quem etiam in decrepita Pontificis ætate inveniebant, cauſſati, quod Pontifex jam octogenario major eſſet, proin neceſſitas ſuaderet, ut Romanæ Sedi Vir Franciæ Regno addictus, vel ſaltem minus infenſus ſubrogaretur: quapropter Henricus II. Franciſcum Turnonium unacum pluribus aliis Cardinalibus Gallis Romam in

ire juſſit, ut ibidem Franciæ commodis invigilarent, ac ſi Pontificem mori contingeret, Succeſſorem Gallis acceptum eligi curarent: porro cum Regis negotia Romæ gereret Cardinalis Turnonius, impenſe Pontificem rogabat, ne Parmæ, nec Octavio Farneſio, qui ſub Franciæ Regis tutela erat, moleſtiam ullam afferret: cum vero nihil profeciſſet, Venetias ſe ſubduxit. Tandem mortuo Joanne Baptiſta Montano Pontificis Nepote Romam reverſus rem adeo dextre geſſerat, ut Anno a Virginis partu milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo Pontificem induceret, quatenus inita cum Gallis pace polliceretur, quod impoſterum in reconciliando Carolo V. cum Henrico II. ſuam operam impendere vellet. Eo tempore Cardinalis a Julio Papa Albanenſem, & poſtea anno ſequenti Sabinenſem Epiſcopatum obtinuit, demum vero ad ſuum Archiepiſcopatum Lugdunenſem reverſus ibidem ſemper perſtitit, donec Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto evocatus tertia jam vice Romam unacum Cardinale Lotharingio proficiſci cogeretur: ubi inſuper binis ſummorum Pontificum electionibus interfuit, cum autem in comitiis, in quibus Pius IV. in Papam fuit electus, Cardinalium

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

nonnulli Turnonio ſuffragarentur, hinc ab eodem Pontifice recens electo Oſtienſis Epiſcopus, & ſacri Collegii Decanus fuit nominatus, apud eundem Pontificem remanere rogatus: verùm Henrico II. fatis functo a Franciſco II. ejus Succeſſore in Gallias revocabatur, ut ſuis eidem conſiliis præſto eſſet.

Hic idem Cardinalis, cum ſcientiarum, ac literatorum inſignis fautor audiret, Turnonii in Vivarienſi Provincia ad Rhodanum erexit Collegium, atque ad illud percelebres accerſivit Profeſſores: cum autem hi novarum hæreſum veneno tunc per Gallias indies magis, magisque graſſante infecti eſſent, hinc Cardinalis eos ſuo munere exuebat, atque ad plurium amicorum ſuorum preces ex Societate Profeſſores ſubrogans, ipſum Collegium eis donabat; hos enim Patres plurimi habebat, eosque, ut juventutem humanioribus literis imbuerent, idoneos cenſebat, necnon pluribus beneficiis eorum non paucos cumulabat.

Sacchin. hiſt. Soc. Jeſu l. 4. n. 84. & 85.

§. LXIV.

Ejusdem Cardinalis obitus.

Denique hic Cardinalis Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo die vigeſima ſecunda Aprilis, apud S. Germanum in

Laya